

NOMINALIA

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi

Consultissimique

DOMINI

JOHANNIS

GODOFREDI

ROESNERI

Burggrabii Regii, Pro-Conf. & Protoscholarchæ

In hac Civitate regia

Meritissimi gravissimique,

Anno 1715. d. 24. Junii

Feliciter redeuntia

Exili quidem carmine, sed demisso animo

Celebrare volebant

Gymnasii Thorunensis Cives.



THORUNI,

Impressit Joan. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr:

[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including phrases like 'Credidit', 'Pulchra', and 'Phobus']

1715



Uper apud sacros latices, quos Pegasus olim
Calce vago terram quatiens fecisse refertur,
Pierides doctæ, faciles Heliconis alumnae
Convenere novem, sic illas flavus Apollo
Jusserat, & gravibus causis commotus in isto
Forte coirè loco Musas præceperat omnes.
Ipse sub umbrosa medius confederat alno,
Hic, qua sylva frequens sitientem frondibus æstum

Temperat, & grato labentes murmure rivi
Subjectos fulcant campos. Tum more recepto
Paucula præfatus miseris mox cuncta replevit
Questibus, ac tristes suspiria duxit ab imo
Pectore. Lugenti narravit Delius ore
Pieridum res afflictas, tristesque scholarum
Ordine proposuit clades, quas impius omnes
Dire vexaret Mavors, ausuque scelesto
Proh dolor! æternis velet sepelire ruinis.
Mœstus plura loqui voluit, sed forte citatis
Provectus pennis aderat Cyllenius heros,
Mercurius Jove progenitus, qui nobilis inter
Cœlicolas summos hominesque interpretis habetur:
Gens, dicebat, atrox, septem subjecta Trioni
Obsita perpetuis nivibus, glacieque perenni
Pressa, suas renovat vires, & pessima quæque
Vicinis populis magno clamore minatur.
Has inter belli clades sævosque tumultus
Ah nimium faciles! num solas vos fore tutas
Creditis? aut vestri num sola intacta manebunt
Pulpita Parnassi? Jam dudum talia, Doctus
Phœbus respondit, mihi mens præfaga futuri
Suggestit, casusque novos, quos nuncius affers,

Longè

Longe prævidi. Certe subsellia docta
Pieridum bello dudum subversa jacerent,
Illaque magnorum regnorum fulcra vetusta
Ingenuæ dudum periissent funditus artes,
Ni surrexisset quandoque VIR UNUS ET ALTER,
E meliore gerens præcordia facta metallo,
Qui dignam ingenio fortunam nactus, amice
Ludos fovisset nostros, profugasque Camœnas
Ceum postliminio vacuam revocasset in urbem.
Vos vero dociles Nymphæ, quæ celsa bicornis
Culmina Parnassi colitis, studiisque præestis
(Sic ad Pierides conversus dixit Apollo)
Collapsas melius vix restaurabitis artes,
Quam si nobiscum tantisper rupe relicta
Aonia vestros passim lustrabitis ipsæ
Ludos: sollicita spectabimus omnia mente,
Quis studiis faveat nostris, quis perdere doctos
Gestiat, hunc digna pœna mulctabimus, illum
Sacra coronabit laurus, vel ramus olivæ.
Consensere statim Musæ, currumque quadrigis
Aligeris tractum conscendunt; Præses Apollo
Has inter medius folio residebat eburno.
Ut primum frænis se conspexere solutos
Cornipedes, tremulis hinnitibus omnia complent:
Mox levibus tenuem findentes æthera pennis
Attolluntur humo, celsique cacumina Pindi
Infra despiciunt; celeres hinc vasta minacis
Regna supervolitant Neptuni, nave carentes.
Jam super Europæ fines evectus Apollo
Flexit equos terræ propius, mediamque coegit
In cœlo fervare viam. Tum nubis aquosæ
Instar pendentes varias pelluntur in oras.
Heu mihi! quot clades tum conspexere scholarum!
Quot cari Sophiæ cultores atque magistri
Exilium toto quærebant orbe dolentes,
Jamque cadente die cœcæ se credere nocti
Nolentes, prope Thorunium demittere currum
Constituunt, ac fessâ pigræ dare membra quieti.
Hanc simulac urbem Phœbus procul inde jacentem
Vidit, & injectum perpendit mœnibus ignem,
Altius ingemuit; sacri quoque montis alumna
Pierides lacrymas vix continuere cadentes.
Ut propius venere locum (non ista putassent)
Scena videbatur subito mutata. Procacis
In sylvis Dryades lætas duxere choreas;
Najades humentes, celebris quas Viistula profert,
Ludere compositis hinc cœnebantur in undis;
Omnia vicino resonabant inde tumultu
Prata. Thorunensis præprimis carmine læto
Pindus perstrepuerit, Miratæ talia doctæ

Pierides

Pierides, unam, quid iubilata tanta notarent,
 Sylvestrem quærunt Nympham? mox illa roganti
 Nunciat: Insignem, quam lambit Vistula flumen,
 Urbem, THORUNIVM veteres dixere Borussi,
 Bis violenta lues pestis concussit: eandem
 Ah! nimis horrende vastarunt Martia tela;
 Et nisi ROESNERUS reliquis PRIMORIBUS amplis
 Adjutus nostras prudens tractasset habenas,
 Horrída forte diu media crevisset in urbe
 Sylva, & cornugeri fœdassent mœnia Fauni.
 Nomino ROESNERUM, CUJUS prudentia summa.
 Mentem nobilitat, qui præsens atque futurum
 Quodvis consilio placido componere novit.
 Civibus afflictis Pater est; studiosus honesti
 Præmia virtuti tribuit, pœnisque severis
 Improba perversæ castigat crimina turbæ.
 Addo quod ingenuas artes, queis forte regendis
 Ex habitu vestrò vos credo præesse, Puellæ,
 Semper promoveat, foveat, ferat, obtegat, atque
 Barbarico solers illas defendat ab hoste.
 Ecce Thorunensem Pindum clamore sonantem,
 Cernite lætitiã, Musas audite canentes.
 Barbiton intendunt hilares, pars carmine docto
 Nominis augusti celebrat redeuntia festa
 ROESNERI. Cives cum donis templa frequentant,
 Victimã multa cadit, splendescunt ignibus aræ,
 Et pro ROESNERI capiuntur vota salute.
 Murmura cœca ferunt fontes; sub quercubus altis
 Sylvestres ludunt Dryades; hinc inde per agros
 Gaudentes saliant satyri; quos claudus ibidem
 Pastor Domœtas imitatur & Alphefibæus.
 Addere plura quidem voluit, sed primus Apollo
 Barbiton increpuit resonum, mox Turba novena
 Arrepta molli cithara fidibusque conoris
 Laudes MAGNIFICI cantavit voce sonora
 ROESNERI. Donec prolixum sedula cœpit
 Fundere Calliope carmen versusque ducentos,
 Ex quibus extremos tantummodo garrula Fama
 Attulit ad nostras aures, oblita priorum:
 OPTIME, qui nostras inter Mavortia bella
 Musas SOLUS alis, conservas atque rueris,
 Vive diu felix, redeant TUA NOMINA sæpe
 Sidere felici; donec post Nestoris annos
 Præmia pro magno capies majora labore.

